



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopis, Episcopis, Et aliis Ecclesiarum Praelatis, Rectoribus,
Potestatibus, Consulibus, Marchionibus, Comitibus & aliis nobiles
constitutis in Lombardia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

sed in veræ dilectionis indicium visitans visitavit nos, qui quos amat arguit & castigat, & in corporis ægritudine manum suam super nos aliquantulum aggravavit. Verùm quoniam non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, morti nos tradere noluit; sed secundùm multitudinem miserationum nostrarum salvos nos faciens, alligavit contritiones nostras, & ægritudinem mitigavit, & flagellum quod super nos misericors & miserator induxit misericorditer relevans, adhuc nos Ecclesiæ suæ servitio reservavit; ita quòd jam per ejus gratiam in bona sumus convalescentia constituti. Vtinam autem virtutem ex infirmitate perficiat, ut præcedens infirmitas futuræ sit materia firmitatis; quatenus ex ipsa reddamur ægritudine fortiores, & cùm imperfectum nostrum perfectiùs nunc & plenius agnoscamus, si quid possumus, si quid sumus, aut scimus, si quid laudabiliter agimus, non nostris tribuamus meritis, sed ei potiùs ascribamus; scientes quòd neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incremenrum dat Deus. Si ergo tanto tempore serenitatem regiam distulimus visitare litteris, non moveatur aliquatenus aut miretur; cùm factis nobis fuerit visitationis tempore in visitatorem intendere, nec visitati possemus de facili alios visitare. Inter ipsos autem doloris stimulos & infirmitatis angustias in eo qui consolatur nos in omni tribulatione nostra consolationem accepimus, & in ægritudinis tristitia fumus lætiores effecti quòd lætos de tua serenitate audivimus rumores quòd is qui visitat & facit redemptionem plebis suæ docuit manus tuas ad prælium & digitos instruxit ad bellum, infirmans arcum fortium qui in sua potentia confidebant, ut sic à facie tua fugerent quòd nec congressum etiam expectarent. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur in Domino quatenus in eo qui est fortitudo nostra figas anchoram spei tuæ, nec tuæ industriæ imputes si quid tibi acciderit juxta votum, sed ei potiùs causam tuæ prosperitatis ascribas. De nobis autem sicut patre spiritali confidens, in omnibus quæ ad tui honoris spectaverint augmentum consilium nostrum & auxilium confidenter exquiras, cùm illud non tibi minùs libenter impendere proponamus quàm tibi necessarium aut voluntarium sit habere. Verùm quoniam ad usitatam fallendi speciem assueti fallaciæ recurrentes, quod viribus nequeunt, fraudibus obtinere nituntur, auctoritatem sibi ex mendacio mendicantes, sicut nostris auribus est intimatum, Sueviæ Dux Philippus &c. *ut in prima * præcedenti usque pœnitentem.* Hæc sicut scripsimus ita esse non dubites; nec credas si forsan immissiones &c. *usque claudicare,* cùm non fuerimus hætenus in proposito nostro leves &c. *usque revocare.* Cadant igitur & cadent, Domino faciente, figulus & figmentum, veritas autem de die in diem ampliùs invalescet. Datum.

* id est, epist.
90.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ET
aliis Ecclesiarum Prelatis, Rectoribus, Potestatibus,
Consulibus, Marchionibus, Comitibus &
aliis nobilibus constitutis in Lombardia.

NOvit scrutator renum & cordium Dominus Iesus Christus, cui omnium sunt cogitationes & intentiones aperta, quòd in factò imperij bono zelo processimus, id sollicitè procurantes ut persona talis assumeretur ad illud quæ pacem Ecclesiæ ac imperij affectaret, & urbis honores diligeret, & servaret Italiæ totius ac Lombardiæ specialiter libertatem. Non enim, sicut pestilentes aliqui mentiuntur volentes inter Ecclesiam & imperium immortalis discordiæ materiam suscitare, ad imperij depressionem intendimus, sed incrementum ipsius potiùs affectamus; utpote per quod, si bene ordinatum fuerit, Ecclesiam defendendam credimus & in pluribus exaltandam. Nam etsi quidam Imperatorum Romanam Ecclesiam, Lombardiam, & universam Italiam graviter fuerint persecuti, sicut universitatis vestræ discretio bene novit, novimus tamen quòd aliqui sunt sedem apostolicam venerati, ditantes & dotantes eandem, amantes Italiam, & diligentes specialiter Lombardiam. Attendentes igitur olim quantum dispendium ex defensoris defectu pateretur Ecclesia quantumque incommodum ex Imperatoris carentia sentiret religio Christiana, licet diutiùs expectaverimus expectantes si forsan Principes vel per se ipsos vel de consilio nostro sinem imponerent tantis malis, quia tamen eos super his invenimus negligentes, paterna ipsos curavimus sollicitudine commonere ut Deum habentes præ oculis, & imperij zelantes honorem, ad provisionem ipsius meliùs intendere procurarent; ne vel dignitas annullaretur ipsius, vel libertas per eorum discordiam deperiret. Alioquin, quia mora trahebat periculum grave secum, nos quod expedire crederemus ampliùs procurantes, illi favorem apostolicum præstaremus quem crederemus majoribus studiis & meritis adjuvari. Cùm autem ad hujusmodi litteras, quas ad multos Principum novimus pervenisse, nobis nec verbo fuisset nec factò responsum, audito quòd quidam eorum ad commune colloquium disponderent convenire, per litteras nostras consilium nostrum eis duximus exponendum, super iis quæ necessaria videbantur eos diligentius instruente. Ceterùm cùm nec sic potuissimus proficere apud eos, nolentes ulterius Ecclesiæ ac imperij dissimulare jacturam, non posuimus carnem brachium nostrum, nec acceptavimus vultum potentis; sed in eo ponentes spem nostram qui non est personarum acceptor, & qui David de postfretantes accepit pascere Iacob populum suum & Israël hereditatem suam, pensavimus & examinavimus, quantum tamen de plano potuimus, studia eligentium, cùm persona nobilis viri Ducis Sueviæ nostrum noluerit super hoc subire iudicium; & intelleximus quòd licet major pars Principum in electione ipsius ab initio convenisset, plures tamen ex iis ad quos Imperatoris spectat electio convenerunt postmodum in carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem

Epist. 91.



Regem Ottonem; & quod ex eo quod fautores præfati Philippi, abfentibus aliis & contemptis, ipfum prius eligere præfumpferunt, patet eos perperam processiffe, cum explorati fit iuris quod electioni plus contemptus unius quam contradictio plurimorum obfistat. Vnde quia privilegium meruerunt amittere qui permiffa fibi abufi sunt potestate, videri non immeritè poterat quòd injuria hujusmodi nonobftante ceteri præfati uti potuerint jure fuo. Præterea Dux prædictus nec ubi debuit, nec à quo debuit, coronam & unktionem accepit. Memoratus verò Rex & ubi debuit, videlicet Aquifgrani, & à quo debuit, fcilicet à venerabili fratre nostro Colonienfi Archiepifcopo, recepit utrumque. Insuper fufficienter examinavimus merita personatum, cum dubium non exiftat ad nos examinationem hujusmodi pertinere. Est etenim generaliter & particulariter obfervatum ut ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manus fpectat, quod & Principes sine contradictione qualibet recognofcunt; ficut expreffè per venerabilem fratrem nostrum Salzbürgenfem Archiepifcopum & dilectum filium Abbatem de Salem & nobilem virum Marchionem orientalem legatos fuos recognoverunt in noftra præfentia constitutos, etiam Principes fupradictò Philippo faventes. Quòd autem cum in electione vota Principum dividuntur, poft admonitionem & expectationem alteri partium favere poffimus, maxime poftquam à nobis unctio, confecratio, & coronatio poftulatur, ficut utraque pars à nobis multoties poftulavit, ex jure pater pariter & exemplo. Numquid enim fi Principes admoniti & expectati vel non potuerint vel noluerint convenire, apoftolica fedes advocato & defenfore carebit, eorumque culpa ipfi redundabit in pœnam? Præterea veftra, ficut credimus, univerfitas non ignorat quòd cum Lorharius & Conradus in difcordia fuiffent electi, Romanus Pontifex Lorharium coronavit, & imperium obtinuit coronatus, eodem Conrado tunc demum ad gratiam redeunte. Sunt autem notoria impedimenta, quæ præfato Duci ad fuam promotionem obfiftunt, videlicet excommunicatio publica, perjurium manifefstum, & perfecutio divulgata quam progenitores ejus & ipfe præfumpferunt in apoftolicam fedem & alios ecclefiafticos exercere. Vnde videri non immeritò poterat quòd ad probationem ipfius non erat ordo judiciarius obfervandus, cum actione non indigeant manifesta. Fuit enim &c. *ut fuprà * de impedimentis.* Qualiter Philippus excommunicatus fuerit & eif cum adhuc faveat Capparono, qui Marcualdo in malitia & excommunicatione fuffecit, nec unquam fuerit abfolutus, & quòd venerit contra proprium juramentum, fuerit etiam de perfecutorum genere oriundus, & est Ecclefiam perfecutus, & qualiter liberas Principum deperiret fi ipfum eligerent, qualiter autem Fredericus & Henricus perfecuti fuerint Lombardiam, qualiter eam fubicere voluerint fervituti, qualiter Philippus ipfe adhuc patrum fuorum inhærens vefigiis, regnum Siciliæ nobis & etiam nepoti fuo fubtrahere molietur, veftra, ficut credimus,

Tom. I.

univerfitas non ignorat. In perfona verò Regis Ottonis nihil impedimenti cognovimus quod promotioni ejus aliquatenus obviaret. Vnde cum cum, licet sine vobis, pro vobis tamen receperimus jam in Regem, & ei favorem apoftolicum duxerimus impendendum, cujus pater pro Lombardia non folum odium Imperatoris incurrit, fed fuo etiam fuit patrimonio fpoliatus, credebamus quòd non folum confilium fed auxilium opportunum nobis ob favorem Regis ipfius & ei ob reverentiam apoftolicæ fedis & noftram potenter & viriliter impendere curaretis, præfertim poftquam exegimus à vobis utrumque; cumque confilium non fuper iis quæ funt præterita requiratur, fed trahatur interdum à præteritis ad futura, credebamus quòd penfatis negotij circumftantiis & iis quæ jam fecimus fuper facto imperij plenius indagatis, qualiter ad promotionem ipfius procedendum efferet in pofterum nobis confulere curaretis & auxilium impertiri. Verùm plerique veftrum in nullo nobis auxilium promittentes, confilium vix fuperficie tenus præbuerunt, quali efferet adhuc quod factum fuerat faciendum, aut vellemus quod cum multa maturitate fecimus ex multa levitate in dubium revocare. Sed forfan quia non intellexeratis negotij feriem, nec adhuc erat processus noftri veritas vobis nota, taliter per veftras litteras respondistis? Sed non credebamus vobis ignotum quod jam erat in Theutonia divulgatum. Monemus igitur univerfitatem veftram & exhortamur attentius & per apoftolica fcripta mandamus quatenus ob reverentiam apoftolicæ fedis & noftram & propriæ libertatis obtentu quod omiffistis hæcenus sine dilatione qualibet fuppleatis, & iis quæ jam fecimus plenius intellectis, qualiter in favorem Regis ipfius debeamus procedere referibentes, non folum confilium fed auxilium veftrum nobis efficaciter tribuatis, ut quod bene incepimus melius compleamus. Ecce etenim Dominus noftrum videtur approbaffe confilium vel nobis illud mifericorditer infpiraffe, cum Rex ipfe de die in diem fiat fe ipfo robuftior, & regnum ejus jugiter roboretur, & debilitetur quotidie pars adverfa, non tam humana manu quam divina dejefta. Cum enim hoc anno Dux Sueviæ fupradictus terram nobilis viri Langravij Turingiæ fuiffet ingreffus & quandam civitatem ipfius cum fuis fautoribus obfideret, Rex ipfe, nutantibus etiam quibusdam ex fuis, cum Duce Boëmæ & aliis qui auxiliabantur eidem in auxilium Langravij properans, obfidentes obfedit, & faciente cum eo Domino fignum in bonum, Philippus de Turingia in Saxoniam ad majorem exercitum colligendum aufugit; fed nec ibidem illum expectare præfumpfit, immo ad civitatem in qua fui obfidebantur occultè revertens, relicto exercitu & difperfo, cum paucis in Sueviam latenter abfcefiffit. Ceterum Rex prædictus non paucis castris & terris quæ Duci faverant potenter acceptis, in locis quæ ipfe prius habuerat folemnes curias celebravit, tam à Langravio quam Duce Boëmæ, quem ipfi Regem appellant, & fratre ipfius Marchione Moraviæ, à multis quoque Comitibus

Vide Godefridum
monachum, fancti
Pantaleonis, ad
an. 1203.

A A a a

* id est, epist.
29. 35.
Vide gesta Innocentii III. c. 36.

Suppanis fidelitatis iuramenta recepit, & eos de feudis suis solemniter juxta imperij consuetudinem investivit. Ne igitur, si finem expectaveritis, veritatem negetis & *Nescio vos* cum fatuis virginibus audiatis, *proveniatis* Regem ipsum obsequio, & eum recipientes in Regem, auxilium ei tam utile quam efficac impendatis. Alioquin, dextra Domini faciente virtutem, Rex ipse promotionis suae recipiet incrementum, & in proximo monarchiam imperij obtinebit; sed vobis in nullo tenebitur, & nos vobis minus reputabimus debitores. Cum autem venerabilibus fratribus nostris Ferrariensi, Papiensi, & Placentino Episcopis, quibus etiam venerabilem fratrem nostrum Mantuanum Episcopum sociamus, pro eo quod quae in nostra praesentia constitutus a nobis audivit vobis poterit viva voce referre, negotium istud apud nos injunxerimus procurandum, volumus & mandamus ut per eos nobis plenius respondere curetis. Datum Anagninae III. Idus Decembris.

E I S D E M.

Epist. 93.

Cum per venerabiles fratres nostros Ferrariensem, Papiensem, & Placentinum Episcopos super facto imperij vos nuper duxerimus consulendos, quia de negotio ipso non eratis ad plenum instructi, minus sufficienter & plenè per eosdem nobis Episcopos respondistis. Ut igitur ex iis quae acta sunt haecenus plenius formetis animi vestri motum & propositum vestrum melius nobis exponere valeatis, per litteras generales totam seriem hujus facti, quam scire vos expedit, vobis duximus exponendam. Ideoque universitatem vestram monemus attentius & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus cum praedictis Episcopis, quibus etiam venerabilem fratrem nostrum Mantuanum Episcopum duximus sociandum, utpote qui quae a nobis audivit vobis plenius poterit viva voce referre, cum ab eis fueritis evocati, ad diem & locum quem vobis praefixerint accedentes, auxilium & consilium vestrum per eos & litteras vestras nobis plenius exponatis. Datum Anagninae ut supra.

FERRARIENSI, PAPIENSI,
Placentino, & Mantuano Episcopis.

Epist. 94.

Cum per vos, fratres Ferrariensis, Papiensis, & Placentine, venerabiles fratres nostros Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates & alios Ecclesiarum Praelatos, Rectores quoque, Potestates, Consules, Marchiones, Comites, & alios nobiles Lombardiae super facto imperij duxerimus consulendos &c. in eundem fere modum usque exponendam. Quia verò tu, frater Mantuane, quae a nobis audisti eis poteris viva voce referre, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus praedictos omnes ad locum idoneum convocetis; ubi praesentatis eis majoribus litteris & perlectis, tenorem earum ipsis diligentius exponatis, exigentes ab eis ut non solum consilium nobis tribuant, sed auxilium & favorem impendant, & super utroque per suas nos redant litteras & nuntios certiores. Vos quoque per litteras vestras responsiones eorum no-

bis plenius intimetis. Datum ut supra.

POTESTATI ET CONSILIARIIS
Mediolanensibus.

Epist. 95.

Nlli constantiam vestram & industriam novissemus, potuissemus non immerito commoveri quod super facto imperij, de quo tam vos quam alios Lombardos nuper duximus consulendos, ita summotenus & superficite tenus respondistis ut videremini aliud sapere quam quod haecenus vos novimus sapuisse. Meminimus enim, nec credidimus vos oblitos, qualiter olim pro carissimo in Christo filio nostro illustri Rege Ottone in Romanorum Imperatorem electo per litteras vestras, quarum inscriptum vobis sub bulla nostra mittimus interclusum, preces humiles porrexistis, inclitae recordationis Henrici Ducis Saxoniae patris ejus beneficia recolentes. Sanè cum consuetudinis vestrae fuerit ut quod fortiter inchoastis, fortius completeretis, miraremur non modicum si in ea promotione Regis ipsius tepuissetis in aliquo vel proposito mutassetis, quoniam fortitudinis vestrae constantiae plurimum mutabilitatis hujusmodi levitas derogaret. Monemus igitur discretionem vestram & exhortamur attentius & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus sicut de vestra devotione confidimus, & vos de nostra dilectione speratis, non recedatis a constantia mentis vestrae, sed in bono proposito persistentes, in colloquio ad quod per venerabiles fratres nostros Ferrariensem, Mantuanum, Papiensem, & Placentinum Episcopos vos & Lombardos alios convocari mandamus, tale dare consilium & auxilium promittere procuretis quod ceteri exemplo vestro ad devotionem Regis ipsius fortius inducantur, & consilium suum ex vestra responsione formantes polliceantur auxilium opportunum. Nec trepidetis ubi non est de cetero trepidandum, cum ipsius Regis promotio optatum jugiter recipiat incrementum. Datum ut supra.

VNIVERSAM TAM ECCLESIASTICIS
quam secularibus Principibus Alamanniae.

Epist. 96.

Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, & divinae voluntatis propositum quidam tunc amplius promovent dum illud se credunt fortius impedire, quosdam iniquitatis filios & falsitatis amicos, qui per mendacia concinnata divinae dispositionis arbitrium in promotione carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi retardare volebant, permisit Dominus in mendacio publice deprehendi; ut cum mendaces apparerent in uno, demerentur in ceteris mendaciis suis fidem, nec favorem, quem mentiando saltem indicare volebant, apud veritatis filios obtinerent. Ecce etenim ei qui quos amat arguit & castigat gratiarum exolvimus actiones quod visitans visitavit nos & secundum multitudinem miserationum suarum nos propitius castigavit, sed morti non tradidit; immo qui percusserat, jam sanavit, & nostris contritionibus alligatis, plenius nos restituit sanitati. Crediderant autem quidam ex infirmitate nostra se nocendi mate-